

11
42-9-18

D. D.
DISSERTATIO ACADEMICA,
DE
SCIENTIA BOTANICA
UTILI ATQUE FUCUNDA,

QUAM
CONS. EXP. FACULT. MED. UPS.

PRÆSIDE

*CAROL. PET.
THUNBERG,*

EQUIE AURAT. REG. ORD. DE VASA,
MEDIC. DOCT. PROFESS. MED. ET BOTAN. REG. ET ORD., ACAD. CÆSAR.
NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LONDINENS. HOLMIENS. SOCIET. SCIENT. UPSAL.
PHILAD. PATR. HOLM. BEROL. NAT. SCRUT. PARIS. ET HAFNIENS. HIST. NAT.
LUND. HARLEM. AMSTELD. ZELAND. NIDROSIENS. TICINENS. HALENS. NAT. SCRUT.
LINN. LONDIN. MEDIC. EDIMBURG. ET NAT. STUDIOS. IBID. MEMBRO; NEC NON ACAD.
SCIENT. PARIS. MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN.
FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES JACOBUS HEDRËN,

STIP. REG. WERMELANDUS.

IN AUD. GUST. MAJ. D. XX DEC. MDCCXCHII.

HORIS A. M. CONSVETIS.

UPSALIÆ,
LITTERIS VIDUÆ DIRECT. JOH. EDMAN.



SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
MAGNÆ FIDEI VIRO
DIOECESEOS CAROLSTADIENSIS
EPISCOPO REVERENDISSIMO
DOCT. HERMANNO
SCHRÖDERHEIM,
MÆCENATI SUMMO;

SYNEDRII SACRI ADSESSORIBUS
MAXIME REVERENDIS ET CELEBRATISSIMIS,
DOCT. BENED. ANTONSSON,
DOCT. OLAVO SPAK,
MAG. ANDREÆ PISCATOR,
MAG. OLAVO BJURBÄCK,
MAG. MAGNO EURÉN,
PATRONIS FAVENTISSIMIS

SACRUM.

1772

DE
SCIENTIA BOTANICA
UTILI ATQUE JUCUNDA.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

HOR.

§. I.

Magna sunt opera Dei & admiranda, quibus attente considerandis pius maxime delectatur animus. Gloria Creatoris plena tellus est, quæ infinita summæ bonitatis, potentiæ ac sapientiæ ejus documenta luculenter ostentat. Herbæ, quæ ex gremio terræ progerminant, varietate admirabili & suavitate singulari sensus nostros afficiunt & oblectant nostrisque abunde inserviunt usibus. Harum igitur cognitio ab ipso usque mundi exordio hominibus grata fuit & fructuosa, utpote quæ vitæ sustentandæ & jucundius transigendæ uberrimos aperit fontes. Usus enim vegetabilium ad quamlibet vivendi rationem sese extendit, & cuique ordini atque conditioni apprime est conveniens. Tanta enim copia rerum, tanta ubertate plantarum terra abundat, ut mirifico suo emolumento atque singulari delectatione omnibus sese maximopere commendet. Evincit hoc non tantum eorum prosperitas, qui indolem, commoda & delectamenta Regni Vegetabilis diligenter investigarunt; verum etiam aliorum, qui in rebus naturæ scrutandis negligenter sunt versati, fors afflictior; dum earum re-

A 2

rum,



rum, quæ animum oblectant & quibus ad vitæ sustentationem carere nequimus, maxima haud raro premuntur inopia. Fuerunt, fatemur, & fortassis adhuc sunt, qui Studio Botanico non æquum satis statuunt pretium. Hi autem fere sunt, qui, sufficienti ejusdem cognitione destituti, justum de eo ferre judicium non valent; quippe qui nihil utile, nihil jucundum reputant, nisi quod ipsis singularem præstiterit usum. Qui vero rem sine præjudicio æstimant, & commoda hujus disciplinæ justa lance ponderare didicerunt, confestim sane præstantiam ejus agnoscent atque ultro prædicabunt. Mibi certe, ductu Parentis optimi, in solo natali amoenissimos Floræ campos pervagari jucundum fuit, meumque herbas investigandi & examinandi ardorem insignis Nobilissimi mei PRÆSIDIS favor & exoptatissima, quæ mihi ejus sub auspiciis discendi contigit occasio, mirum in modum exauit. Hinc specimen qualecunque Academicum edituro hoc imprimis arrisit argumentum, ut de Scientia Botanica utili & jucunda pauculas adferrem meditationes. Artis per se commendatissimæ laudationem tentare temerarium foret: commilitones, præstantiæ & svavitatis ejus nondum satis convictos, commonescere, non fortassis a communi scopo erit alienum. Tenellarum probe conscius virium Te C. L. enixe rogo, velis juvenilem conatum mitiori subjicere censuræ.

§. II.

Botanica Scientia, quæ vegetabilia per certas notas discernere & in suas classes apte referre docet, non vanis speculationibus & conjecturis, quibus nihil certum, nihil salutare invenitur, sed diligenti naturæ inspectione & attenta objectorum comparatione nititur. Certis illa atque indubiis observationibus & experimentis compa-
ra-

ratur, habitumque plantarum species ad certos characteres examinandi continet. Neque enim bonus & eruditus est Botanicus, qui herbas tantum nonnullas ab aliis distinguere & nomina earundem repetere didicit; sed qui, ex regulis certioribus stabilitis, per latifundia Floræ patentissima, utiles a noxiis & usu nondum perspectis rite dignoscere valet. Hic vero bene merendi studio incensus indefessam navat operam, ut suam aliorumque cognitionem ac peritiam amplificet inque utilitatem hominum communem, quantum fieri potest, convertat. Nomen Botanicæ Græcum & nomina herbarum plurima e lingua Hellados desumpta, Græcis floridam hanc disciplinam fuisse familiarem admonent. Regibus hortorum culturam arborumque plantationes olim negotium fuisse perquam adamatum luculenter monstrat *Xenophon a)*; unde Botanicam artem non sordidam, sed quantivis pretii habitam fuisse, satis constat. Hinc non quidem systematicas, quales nostra ostendat ætas, sed perutiles tamen Græci reliquerunt Botanicæ observationes. Dein vero magis magisque crevit Botanica, donec nostris temporibus incredibili doctorum virorum labore in summum eversa est fastigium. Speramus autem fore, ut in posterum majora etiam capiat incrementa; imprimis cum ad naturam magis, quam hypotheses receptas, suas jam instituant præceptiones Botanici.

§. III.

Multiplex omnino Botanicæ in omni hominum vita est utilitas; sed quam sigillatim explicare mearum non est virium. Per summa tantum capita eundo ostendere conabor, quod religioni, quod medicinæ, quod oeconomicæ plurimum illa præstet usum. Sacra Scriptura, unde

a) Lib. Oecon. Cap. IV.

de cognitio Dei vitæque religiosæ est petenda, plurium herbarum & arborum passim facit mentionem, quibus describendis operam haud contemnendam, dispari licet successu, impenderunt Hierobotanici. Huic vero facræ Philologiæ parti lucem, ex observationibus peregrinantium diligentissime collectis & cum lingua originali collatis, plane eximiam addit S. Theol. Adjunctus percelebris SAM. ÖDMANN. Allegorias & imagines, præceptis illustrandis idoneas, ex numerosa vegetabilum cohorte sacri scriptores desumserunt; ad quas rite intelligendas & fiduciæ firmandæ moribusque emendandis applicandas plurimum conducit Botanica. Ratio enim similitudinis, quam tertium comparationis vocant Rhetores, rebus, unde sancta est, incognitis, investigari & explicari nequit. De cetero lilia agri, quæ gloriam Salomonis ornatu suo longe superant, & reliqua naturæ florescentis ac frugiferæ miracula, ad providentiam Dei venerandam & curas inanes abigendas spectari & considerari merentur. Spectator autem Botanica eruditione præditus in plantis, maximis minimis, admiranda suspicit bonitatis ac sapientiæ vestigia. Sic vero sibi constat illud STIGELII:

*Emicat ex parvis Divina potentia rebus;
Et levis est cespes, qui probat esse Deum.*

Optime igitur sibi suisque aaditoribus consulit ecclesiæ doctor, si studium Botanicum Theologicis adjungit curis, ut in campis, in silvis & hortis non minus, quam in ædibus, tum publicis tum privatis, religionem saluti-feram illustrare atque ad pietatem in omnibus perutilem serio & fideliter homines, pro re nata, exhortari possit.

§. IV.

Medicinæ studio cognitionem herbarum distinctam maximum præstare adjumentum eidemque vinculo arctissimo esse adnexam, notius est, quam ut admoneri, ne dicam demonstrari, debeat. Quis enim, vel paululum in circulis scientiarum versatus, ignorat, materiam Medicam, quæ res medicamentis præparandis aptas continet, in aliis quidem naturæ regnis, Minerali nempe & Animali, haud frustra quæri, sed magna satis copia & præstantia inveniri: at easdem longe majori numero regnum offerre Vegetabile? Non omnium quidem, quæ hucusque detectæ sunt, herbarum vis medendi certo patefacta est; nec unquam forte medicis innotescet; dum cognitorum ex hoc regno medicaminum non inopia, sed copia verius laborent: sed præter officinalia, quæ jam dudum in Pharmacopoliis præparantur & dispari virtute se commendant, alia passim vegetabilia, usitatis efficaciora aut æquiparanda, casu vel industria peritiorum deteguntur, atque adeo Botanologiæ medicæ nova constituunt objecta, Pharmaceuticæ ac Medicinæ studiosis neutiquam negligenda. Præterea non salubres tantum, sed venenosas etiam aut quovis nomine noxias herbas cognoscere sapientem decet. Sic enim observato a ceteris discrimine noxius caveri effectus aut impediri potest. Nec herbas pro inutilibus huc usque habitas cognoscere, si occasio detur, inconsultum est. Nam sic latens forte in illis vis indagari poterit, & ipsa ab exploratis facilius dignoscuntur. Neque vero in hunc finem perfunctorie Botanicam libere scientiam sufficit. Tanta enim est vegetabilium multitudo & varietas, tanta plurimorum affinitas, ut specie quadam decipi & unum pro altero sumere, cujus tamen vis aut nulla sit aut contraria, sit facillimum. Quemadmodum vero scientiæ haud raro mutuam sibi porrigunt opem: ita virum in-

do-

dolem & differentiam sine adminiculis Chemiæ & observationibus medicis invenire Botanicus ac determinare nequit.

§. V.

Plurimæ, ut cuivis notum, sunt species Oeconomix. Alia reipublicæ est, redditibus publicis administrandis occupata; alia privatorum, in opibus colligendis, usurpandis & conservandis posita. Hanc prioris fundamentum, illam hujus esse præsidium per se patet. Cum vero Oeconomix privatæ agricultura sit pars præcipua, cui mercatura & artes manuariæ eximium præbent adjumentum: facile constat, oconomis, qui terræ proventu & fructibus potissimum nituntur, vegetabilium cognitionem adcuratorem multiplici nomine esse fructuosam. Sive enim agros vario frumentorum genere conferendos, sive prata diversis graminibus & floribus ornata, sive hortos arboribus frugiferis & amoenis confitos, sive silvas frondosas, ædibus aliisque operibus materiam suppeditantes, sive rem denique pecuariam, pascuis & pabulo sustinendam, respicimus; scientiæ Botanicæ usus in singulis maxime est insignis & conspicuus. Nam & semina terræ committenda & segetes atque aliæ, quas terra, sponte aut per culturam, profert, omnes plantarum species Botanicam admittunt, immo poscunt, considerationem. Non quidem eruditam illam & subtiliorem rei herbariæ tractationem, quæ, certis superstructa regulis & in varias distributa classes, systematica dicitur, omnis terræ cultura postulat; neque hanc singulis cujuscumque ordinis oconomis, quorum plerique diffusioris & artificiosæ cognitionis minime sunt capaces, commendandam censemus: sed quo distinctiori tamen quisque gaudet rerum cognitione, eo justius illis statuere pretium, eoque facilius & feliciter easdem in sua aliorum-

rumque convertere potest commoda. Noscatur igitur oeconomicus herbas hominibus & pecoribus esculentas, aut alia quadam ratione utiles, ut serat, ut servet, ut colligat: noscat damnosas, ut extirpet aut ab usu removeat. Neque oeconomiae mercantium aut opificum Botanica est inutilis. Varias enim merces e vegetabili regno productas, vel intra patriam vel apud externos, vendit oeconomicus Botanicae subsidiis adjutus. Varii per officinas tinctorias linteis, laneis, sericeis aliisque mercibus textura paratis, herbarum ope inducuntur colores; ut alia bene multa Botanices commoda oeconomica sicco pede praeteream.

§. VI.

At non prodesse tantum, verum etiam delectare vult alma Botanica. Maxima quidem ejus utilitas per se non sine suavissima quadam delectatione percipitur: sed ipsum etiam hoc studium genuinis cultoribus plurima adfert delectamenta. Non omnia, quae suscipimus, lucrum spectant. Venatorem in silvis cursitantem motus; lusorem jactum varietas praecipue delectat. Non semper necessaria sectamur: majori interdum nisu quaerimus, quae jucundum nobis sensum pariunt. Herbarum profecto arborumque attentior inspectio & consideratio tantum habet innocentissimae jucunditatis, ut si non adeo magnum nobis ostenderet atque suppeditaret fructum, sed sola ex hac peteretur delectatio; haec tamen animi recreatio humanissima plane ac liberalissima deberet judicari. Miramur homines, qui unicum saepe florem maximo adquirunt pretio; miramur Botanophilos, qui numerosas herbarum collectiones magnis comparant laboribus atque impensis. Sed diversa hominum ingenia recte reputantes, non utique indignabimur, si, absque in-

B juria



juriam & superciliosam aliorum contemptum, sua trahat quemque voluptas. Illi autem, qui, ut Cicero dicit, nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias, & qui in quacumque scientia veri & pulchri investigandi studio a rebus gerendis sese ita abduci patiuntur, ut nihil inde ad communem possint adferre fructum, merito culpantur. Is vero jure laudabitur, qui, dum alios ad opera ac dona optimi Creatoris magni aestimanda & sapienter utenda, perducere studet, atque adeo boni viri ac civis officia, quantum ejus muneris vitæque generis ratio permittit, fideliter observat, in contemplatione rerum naturalium, quæ totidem infinitæ Dei gloriæ sunt specula, suaviter acquiescit.

S. D. G.

